

cipientes, ut supra, Excommunicationis late sententiæ, privationis Dignitatum, Beneficiorum, Officiorum et Feudorum incurrant pœnam, Pius IV, *ibid.*

(9. Fidei professio est faciendâ a Græcis, et sub propria sua formula; Gregor. XIII, Const. incip. *Sanctissimus*. Talis tamen forma reformata fuit ab Urbano VIII, quam refert Nicolius in suo *Compendio Episcop.* verb. *Fides*. (10. Fidei professio facta ab Imperatore Græcorum Lugduni, eadem fuit cum illa, quam faciunt Latini; Gregor. X, Const. incip. *Exultare*.)

(11. Fidei professio simul, et specialis promissio de eadem usque in finem, sincera cordis devotione, ac constantissimè retinenda, debet emitti ab illis, qui ad Sacros Ordines sunt promovendi; c. *Quamquam* 6. dist. 23.

(12. Item Fidei professionem facere tenentur promoti ad Episcopatum; cap. *Qui Episcopus* 2, dist. 23, c. *Optatum* 4, dist. 100. Conc. Trid. sess. 24, cap. 1, de *Reform.* Gregorius XIV, Constitut. incip. *Onus Apostolicæ*. Forma autem hujus professionis Fidei, ac Juramenti traditur in Pontificali Romano jussu Clementis VIII edito; vid. verb. *Episcopus* art. 2, num. 17 et sequent.

(13. Omnes Episcopi in principio Concilii Provincialis debent Fidei professionem emittere, et jurare observantiam Sacri Concilii Tridentini, ut est injunctum in ipso Tridentino sess. 25, cap. 2, de *Reformat.* ubi insuper statuit, quod si quis renuerit, statim denuntiatur Summo Pontifici a Coepiscopis sub pœna divinæ indignationis, et interim prædictus renuens communione aliorum privetur. (14. Item Beneficiati omnes, et ii qui in Synodo Diœcesana convenire debent, Fidei professionem tenentur emittere in prima Synodo, cui adfuerint. Concil. Trident. cit. sess. 25, cap. 2.

(15. Canonici et dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses Fidei professionem facere, non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo. Concil. Trid. sess. 24, de *Reformat.* c. 12, vers. *Provisi*, et Pius IV. (16. Constitut. incip. *Injunctum Nobis*. Hanc Fidei professionem Canonici et dignitates Cathedralis tenentur facere per se ipsos personaliter, et non sufficit per Procuratorem, ut pluries censuit Sac. Congreg. Concil. et signanter in Seguntina 18 Aprilis 1590, et iterum in alia causa die 12 Sept. 1620, et in Calaguritana 22 Septemb. 1696, et in Cathacen. 6 Febr. 1726, adeoque propter talia decreta non sunt attendendi Doctores sustinentes posse Fidei professionem emitti per Procuratorem specialiter deputatum. (17. Coadjutores Canonicorum, seu dignitatum Cathedralium de rigore Juris communis, seu Conc. Trid. non tenentur emittere professionem Fidei, quia Coadjutor durante Coadjutoria nondum est verus Canonicus; Barbosa de *Offic. et potest. Episc.* part. 3, allegat. 61, num. 13 et 14, et de *Canonic.* c. 27, num. 12. Gonzalez. ad regul. 8. *Canell.* gloss. 5, § 9, numero 110. Garcias de *Benefic.* part. 4, cap. 3, num. 74 et 76, et alii passim. (18. Nec talem Fidei

professionem tenentur facere Portionarii, Vicarii temporales, et alii provisi de Capellanis in Ecclesia Cathedrali; Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* cap. 2, num. 64, et de *Canon.* cap. 17, n. 13. Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 1, § 8, num. 166. Sanchez lib. 2, in *Decal.* c. 5, num. 1, et alii passim; et ratio est, quia supradicti omnes non comprehenduntur sub illis personis, quas Concil. Trident. cit. sess. 24, cap. 12, de *Reformat.* et Pius IV, in Constit. incip. *Injunctum nobis*, obligavit ad Fidei professionem, ut legenti patet; Unde cum ibi sancita a Tridentino, et Pio IV, sint pœnalia, et novi Juris inductiva, non debent extendi ultra personas expressas, nam pœnæ sunt restringendæ juxta Regul. 15 et 49. Juris in 6. Jurium enim correctio, quantum fieri potest, est evitanda, cap. *Cum expedit, de Election.* in 6, proinde non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum; l. *Præcepimus.* Cod. de *Appell.* (19. Nec ad ipsam Fidei professionem emittendam tenentur jure Tridentini, et cit. Constitut. Pii IV. Canonici et Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, et possidentes Beneficia inferiora non curata: sic decisum fuisse a Sac. Congreg. Conc. die 12 Febr. 1588, refert Garcias de *Benefic.* part. 3, cap. 3, numer. 11, et Barbosa in *Summa Apostolicar. decis.* verb. *Professio Fidei* num. 6. Vide tamen verb. *Canonicus* art. 4, num. 32, 33, et per totum articulum, ubi late de iis, quæ Fidei professionem Canonicorum concernunt.

(20. Prælati Regulares, qui præficiuntur Monasteriis, Conventibus, Domibus, et aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine appellentur, tenentur eadem Fidei professionem emittere intra duos menses ab adeptæ possessione suæ Præfecturæ per extensionem factam a Pio IV, in d. sua Constitutione incip. *Injunctum*. (21. Hanc tamen Pii IV. Constitutionem quoad hoc non esse in usu, et sic Eminentissimos Cardinales, aliosque Viros doctissimos consuluisse notat Hieronymus a Sorbo in compendio privilegiorum Mendicant. verb. *Professio Fidei*, notab. l. 1, et sic tenent Sanchez l. 2, in *Decalog.* cap. 5, num. 3. Portell. in *Dub. Regul.* verb. *Professio Fidei*, num. 3. Tamburin. de *Jur. Abbat.* tom. 1, disp. 8, qu. 3, n. 3. Villalob. in *Summa* tom. 2, tr. 1, difficult. 6, num. 3. Diana *Moral. resolut.* part. 3, tract. 2, resolut. 78. Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 1, num. 161, et alii, qui dicunt, in iis Religionibus, in quibus viget contraria consuetudo, non teneri Prælatos earum ad emittendam Fidei professionem, et hoc per generalia Juris principia, quod in ipsis vel d. Constitutio Pii IV, quoad hoc numquam fuerit recepta, vel contraria consuetudine denuo abrogata; arg. cap. *Quanto* 11, de *Consuet.* Barbosa autem de *Offic. et potest. Episcop.* part. 3, allegat. 61, n. 7, cum variis aliis ibi citatis non improbat istum usum. (22. Et idem Barbosa in *Summa Apost. dec.* verb. *Professio fidei* n. 3, refert, Sacri Congregationem Concilii decre-

visse, quod « professionem Fidei emittere per Episcopos Locorum Ordinarios, si ita illis videbitur, sunt compellendi Regulares, antequam prædicationis munus incipiant, » quod decretum, ut vides, concordat cum alato sub num. 4, in una Brugnat. relato a Nicolio, et clare demonstrat, quod Regulares Prædicatores tenentur solum Fidei professionem emittere, quando Ordinariis ita videtur, et ab illis exigitur.

(23. Attendenda est hic sequens Epistola Sacræ Congregationis Concilii directæ Eminentissimo et Reverendissimo Cardinali de Lambertinis, postea summo Pontifici, et ab ipso relata Volumine tertio, notificatione 19, in fine, ut sequitur:

Eminentiss. et Reverendiss. D. Observand.

Negotium, de quo agitur in adjunctis precibus nonnullorum Canonicorum istius Metropolitanæ, aliorumque Parochorum tam Civitatis quam Diœcesis, Eminentissimi PP. Sacri Congregationis Concilii remittendum esse duxerunt arbitrio, et prudentiæ Eminentiss. Vestræ, cui proinde facultatem faciunt, ut Canonicos et Parochos præscriptos, qui Fidei Professionem coram Ordinario, prout exponitur, erronee, et contra dis-

FILIUS, FILII.

SUMMARIUM.

1. Filii alii sunt legitimi, et alii illegitimi, et qui sint legitimi, et naturales. — 2. Filii nati ex Matrimonio clandestino inito in gradu, licet ignoranter, prohibito, sunt illegitimi. — 3. Sic etiam illegitimi censendi sunt filii nati ex matrimonio inito a parentibus scientibus impedimentum legitimum, quamvis non clandestine, sed in facie Ecclesiæ præter omne interactum contrahere præsumperint. — 4. Si autem unus tantum ex conjugibus ante matrimonium, vel ejus consummationem, scivit impedimentum dirimens, alter vero idem ignorans bona fide contraxit, et consummavit matrimonium, filii inde nati censendi sunt legitimi. — 5. Talis autem bona fides ex parte saltem unius conjugis debet perseverare, et adesse etiam tempore conceptionis, aliter si ante prolis conceptionem ei innotescat impedimentum dirimens, et consequenter cesset bona fides, proles erit illegitima. — 6. Si cum dubio de latente impedimento, et non adhibita debita diligentia ad indagandam veritatem, conjuges contrahant et consummant matrimonium, postea impedimentum detegatur, filii ex tali matrimonio procreati, erunt illegitimi. — 7. Si autem dubium superveniat matrimonio jam contracto, et consummato, filii concepti stante hoc dubio erunt legitimi, quamvis lis de valore matrimonii in foro externo esset mota, et adhuc pendens, dummodo ante sententiam sint concepti. — 8. Filii nati septimo mense post initum matrimonium habendi sunt pro legitimis. — 9. Etiam si nascantur ad initium dieti mensis. — 10. Sic etiam legitimi sunt habendi filii illi qui nascuntur undecimo mense jam completo ordinariè pro illegitimis habentur. — 11. Filii autem, qui nascuntur undecimo mense jam completo ordinariè pro illegitimis habentur. — 12. Filii nati duobus diebus post decem menses, seu etiam circa medium undecimi mensis, secundum multos censendi sunt legitimi, maxime si Mater sit bonæ famæ, et Maritus usque ad ultimum suæ vitæ fuerit aptus ad generandum. — 13. Immo multi volunt, quod in casu extraordinario etiam post completum undecimum mensem filius natus reputandus sit legitimus, præsertim, si mater nedom sit optimæ famæ, sed etiam sit cujusdam specialis corporalis

positionem Sacri Concilii Tridentini emittere prætermiserunt, ad novam Fidei Professionem faciendam coram Eminentia Vestra, sive ejus Vicario Generali admittere possit, eisdemque fructus suorum respective Beneficiorum a die adeptæ possessionis perceptorum, erogata tamen aliqua summa arbitrio Eminentiss. Vestræ taxanda in eleemosynam Christi Pauperum, liberaliter condonare valeat. Id Eminentiss. Vestræ significo, ejusque manus humillime deosculor.

Romæ 10 Novembris 1736.

Eminentiss. Vestræ

Humill. et addictiss. Servus.

A. card. GENTILI pro eminentiss. præfecto.

(24. Fidei professio exposcitur a Græcis ad unitatem Catholicæ Ecclesiæ redeuntibus. Bened. XIV. Constit. incip. *Allate sunt*, § 17. Alia ad rem. Vide verb. *Canonicatus* art. 4, per tot. tum additiones ex aliena manu ad verb. *Beneficiatus* art. 1, et ad verb. *Canonicatus* art. 4, et superius allata in verb. *Fides* a num. 47 ad 60.

Fidei, Spei et Charitatis actus a Parocho elata voce emittendi in Missa Parochiali; vid. infra sub verb. *Parochus*.

dispositionis et complexionis. — 14. Filii stante matrimonio nati censendi sunt legitimi, quamvis constet uxorem pluries adulterasse, et ipsi filii magis assimilentur adultero, quam Matris Marito. — 15. Limita tamen in casu, quo ex Mariti absentia, infirmitate, vel alio impedimento probetur tempore conceptionis non potuisse Maritum copulam habere cum uxore. — 16. Filii censendi sunt legitimi, quamvis Mater fateatur esse adulterinos, et n. 114 et seq. — 17. Filii expositi, quorum parentes ignorantur, an censendi sint legitimi nec ne, ad num. 20. — 21. Filii illegitimi qui sint. — 22. Filii illegitimi alii sunt Naturales; alii Spurii et alii ex damnato coitu. — 23. Naturales qui sint de jure Canonico. — 24. Et qui sint de jure civili. — 25. Qui sint *Manzeres*. — 26. Qui sint *Bastardi*. — 27. Qui sint *Spurii* de Jure Canonico. — 28. Qui sint *Spurii* de Jure Civili. — 30. Filii ex damnato coitu. — 31. Horum *Spuriorum*. — 32 ad 38. Filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens Matrimonium, et quomodo. — 39. ad 42. Filii ex damnato coitu, quomodo per subsequens Matrimonium legitimantur. — 43 ad 45. Effectus hujus legitimationis. — 46. Filii illegitimi legitimantur etiam per Rescriptum Principis. — 47 ad 56. Qui Principes possint legitimarè et ad quos effectus. — 57 ad 69. Illegitimi quoad Ordines, Prælaturas et Beneficia. — 70 ad 75. De filio Presbyteri quoad Beneficium Patris. — 76 ad 80. Filiusfamilias quatuor præstare tenetur parentibus. — 82 ad 86. De furtis Filiifamilias in bona paterna. — 87 ad 90. De ejus salario. — 91 ad 99. Quo ordine debeat filius parentibus et propinquis subvenire. — 100 ad 104. Filius quando ob Patris necessitatem Religionem ingredi prohibeatur, vel jubeatur relinquere. — 105 ad 112. De filii venditione in subventionem parentum. — 113 ad 117. Filius non tenetur credere Matri asserenti ipsum non esse legitimum. — 118 ad 123. Quot modis filius liberetur a patria potestate. — 126. Filii alendi sunt a suis parentibus. — 127. Non solum legitimi, sed etiam spurii. — 128. Mater tenetur alere filium primo triennio, et pater post triennium usque ad emancipationem. — 129. Nomine alimentorum respectu Matris intelligitur solum lac. — 130. Si autem Mater nequeat ipsa lac præbere

filio, tenetur Pater suis expensis Nutricem conducere. — 151. In defectu Patris tenetur alere filios avus paternus vel alii ascendentes, et in defectu Mater. — 152. Deficiente autem Matre, tenetur filios alere Avus, alique ascendentes Materni. — 153. Filii, etiam Spurii, alendi sunt ab hæredibus parentum, aut a Fisco. — 154. Clericus potest filio Spurio alimenta suppeditare etiam ex bonis Ecclesiasticis. — 155. Supradicta tamen de præstandis alimentis filiis intelligi debent, si filii non possint habere unde se alant. — 156. Filii spirituales an alendi sint a Patribus spiritualibus, scilicet a Patris. — 157.

(1. Filii alii sunt legitimi, et alii illegitimi. Comm. Legitimi, vel sunt legitimi tantum, quales sunt filii adoptivi, qui non a natura, sed a sola lege filii facti sunt, vel sunt legitimi, et naturales simul, et isti filii legitimi, et naturales sunt, et dicuntur omnes illi, qui ex vere legitimo Matrimonio, aut saltem putative tali, publice, seu in facie Ecclesiæ absque contradictione, ac bona fide inuito, nati existunt. Communis; arg. l. *Filius* 6. ff. de *His, qui sui, vel alieni*, et princ. *Instit. de Patria potest.* et cap. *Cum inter* 1. *Qui filii sint legitimi*, ubi filii nati etiam in putativo matrimonio declarantur legitimi præcisus his verbis: « Filii eorum (qui bona fide nulliter contraxerant) non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publice et sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscantur; Ideoque sancimus, ut filii eorum, quos ante divortium habuerint, et qui concepti fuerant ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi, et quod in bona paterna hæreditario jure succedant, et de parentum facultatibus nutriantur. » (2. Dicitur autem notanter « aut saltem putative tali publice, seu in facie Ecclesiæ, et absque contradictione inuito, » quia in cap. *Cum inhibitio* 3. de *Clandest. Despons.* expresse statuitur, quod si quis clandestine, seu sine præviis denunciationibus, aut contradicente Episcopo, vel Parocho, « Matrimonium inire præsumperit in gradu prohibito (Consanguinitatis, v. g. vel affinitatis) etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. » Et subjungitur ratio his verbis: « Cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantia videantur. »

(3. Dicitur etiam notanter ac bona fide inuito, quia in d. c. *Cum inhibitio* statim sic expresse subjungitur: « Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumperint. » (4. Si autem unus tantum ex conjugibus ante matrimonium, vel ejus consummationem scivit impedimentum dirimens, alter vero idem ignorans bona fide contraxit, et consummavit matrimonium, filii inde nati reputantur legitimi, quia textus cit. cap. *Cum inhibitio* dicit ambo parentes, et sic recte docet Glossa communiter recepta ibidem in d. verb. *Ambo parentes*, et habetur clare in cap. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*, et tenent ibi

Filii an possint, et ob quas causas exheredari. *Remissive.* — 158 ad 141. Alia quoad Filios. *Remissive.* — 142 ad 146. Nonnulla ex operibus Bened. XIV. — 147 ad 148. An proles legitimetur per subsequens Matrimonium, si tempore conceptionis inhabiles erant Parentes ad Matrimonium. — 149 ad 151. An hujusmodi legitimatio locum habeat, si a morte primæ uxoris ad nativitatem proles effluerint 182 dies. — 152 ad 155. An legitimatio ex dispensatione in radice Matrimonii ad omnes effectus extendatur. — 154 ad 157. Legitimatio per subsequens quoad ejus effectus. — 158. De filio viduæ Naini.

Barbosa n. 2. et Abbas num. 3. et alii communiter. (3. Talis vero bona fides ex parte saltem unius conjugis debet perseverare, et adesse etiam tempore conceptionis, aliter si ante proles conceptionem ei innotescat impedimentum dirimens, et consequenter bona fides cesset, proles erit illegitima, arg. cap. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*; Pirhing. l. 4. *Decret.* tit. 17, n. 14. Pontius l. 11, cap. 8, num. 3, et communis aliorum.

(6. Si cum dubio de latente impedimento, et non adhibita debita diligentia ad indagandam veritatem conjuges contrahant, et consumment matrimonium, et postea impedimentum delegatur, filii ex tali matrimonio procreati, erunt illegitimi; c. *Cum inhibitio* 3, de *clandestina Desponsat.* Et ratio est, quia adesset ignorantia affectata, quæ æquiparatur scientiæ; arg. l. *Ne supina* 6, ff. de *Jur. et fact. ignor.* et c. *Eos* 2, de *temp. ord.* in 6, ibi: « Qui scienter, vel affectata ignorantia. » (7. Si autem dubium superveniat Matrimonio jam contracto, et consummato, filii concepti stante hoc dubio erunt legitimi, quamvis lis de valore Matrimonii in foro externo esset mota, et adhuc pendens, dummodo ante sententiam sint concepti, arg. cap. *Cum inter* 2. *Qui filii sint legitimi*, ibi: « Qui concepti fuerant ante sententiam, non minus habeantur legitimi, » et sic Barb. ibi cum communi aliorum.

(8. Filii nati septimo mense post initum matrimonium habendi sunt pro legitimis, textu expresso in l. septimo 12, ff. « de statu hominum ibi septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter auctoritatem Doctissimi Viri Hippocratis; et ideo credendum est, eum qui justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse. » (9. Etiam si nascantur ad initium dicti septimi mensis; arg. l. *Intestato* 3, § fin. ff. de *Suis et legitim.*, ubi expresse deducitur, « eum, qui centesimo octogesimo secundo, idest 182 die natus est, justo tempore videri natum, » quod tempus ut clare patet septem menses solum inchoatos constituit. (10. Sic etiam legitimi sunt habendi filii illi, qui nascuntur mense decimo; l. *Gallus* 29, ff. de *Lib. et Posthum.* ibi: « Si post mortem in decem mensibus proximis natus erit, hæres suntu. » (11. Filii autem qui undecimo mense jam completo nascuntur, ordinarie pro illegitimis habentur; l. *Intestato*, ff. de *Suis et legitim.* et *Novella* 19, c. 2, ibi: « Mulier, etc., undecimo mense perfecto peperit, ut non esset possibile dicere quia

de defuncto fuisset partus, neque enim in tantum tempus conceptionis extensum est. » (12. Dicitur tamen notanter *Undecimo mense jam completo*, quia Glossa ad cit. *Novell.* verb. *Perfecto* vult, quod si filii nascantur duobus diebus post decem menses, seu etiam circa medium undecimi mensis, ut cum aliis vult Engel lib. 4 *Decret.* tit. 17, num. 7. Reiffenstuel *ibid.* num. 22. Haunoldus de *Justit. et Jur.* tract. 4, num. 139, censendi sint legitimi, maxime si Mater existat bonæ famæ, castis et honestis prædita moribus, et maritus usque ad ultimos suæ vitæ dies fuerit ad generandum aptus; arg. cit. *Novella* 39, cap. 2, ubi Imperator loquitur, de undecimo mense perfecto, seu completo, ibi: « Undecimo mense perfecto peperit. » (13. Immo multi volunt, quod in casu extraordinario etiam post completum undecimum mensem filius natus reputandus sit legitimus, maxime si Mater nedom sit optimæ famæ, sed etiam sit specialis cujusdam corporalis dispositionis et complexionis, seu alia in ipsa concurrant, propter quæ ex Medicorum judicio potuerit sic tarde parere, ut quibusdam adductis exemplis probat sic evenisse Gothofredus in *Notit. ad cit. Novell.* 39, c. 2, litt. C. Quinimmo ex Judicio Parisiensi fuit reputatus legitimus partus quatuordecim mensium ex eo, quod inter alia concurrentia Mater esset honestissimis prædita moribus, ut refert Reiffenstuel. loc. cit. num. 23, et ratio est, quia delictum non præsumitur, donec probetur, arg. l. *Merito* 61, ff. pro *socio*, et cap. *Estote* 2, de *Regul. Juris*, et in dubio pro favore innocentium prolium sentiendum ac judicandum est, arg. cap. *Ex* 14 *tenore Qui filii sint legitimi*, ibi: « In favorem proliis potius declinamus, » et l. *Nuper*, Cod. de *Naturalibus liber.* ibi: « Et hoc favore sancimus liberorum. » Accedit quod « in dubiis semper benigniora præferenda sint; » l. *Semper* 56, ff. de *Regul. Juris*.

(14. Filii stante Matrimonio nati censendi sunt legitimi, quamvis constet uxorem pluries adulterasse, et ipsi filii magis assimilentur adultero, quam Matris Marito; arg. l. *Titium*, ff. de *His, qui sui, vel alieni Jur.* ibi: « Non tamen ferendum, Julianus ait, eum, qui cum Uxore sua assiduo moratus noluit filium agnoscere quasi suum: » Et l. *Miles* 11, § *Defuncto*, ff. ad *Leg. Jul. de adult.* ibi: « Nam non utique crimen adulterii, quod mulieri, Infanti præjudicat; cum possit et illa adultera esse, et impubes defunctum Patrem habuisse. » In dubio enim favendum est proli; arg. cit. c. *Ex tenore*, et cit. l. *Nuper*. (15. Limita tamen in casu, quo ex Mariti absentia, infirmitate, seu impotentia, vel alio impedimento probetur, tempore conceptionis non potuisse maritum copulam habere cum uxore, tunc enim filius sic natus, esset censendus illegitimus, arg. c. *Causam* 4. *Qui filii sint legitimi*, et l. *Filius* 6, ff. de *His qui sui, vel alieni*, ibi: « Mihi videtur si constat aliquandiu maritum cum uxore non concubuisse infirmitate interveniente, vel alia causa... ut generare

non possit, hunc, qui in domo natus est licet vicinis scientibus, filium non esse. » Communis.

(16. Filii censendi sunt legitimi, quamvis mater fateatur eos esse adulterinos, arg. c. *Per tuas, de Probationib.* Barbosa *ibid.* num. 3. et Abbas num. 4. Engel loc. cit. num. 3. Reiffenstuel loc. cit. n. 11. ubi asserit, quod Legistæ communiter reputant fatuum filium, qui credit matri asserenti eum ex adulterio esse natum, alleganti enim suam turpitudinem nulla cum alterius præjudicio debetur fides; cap. *Officii* 9. et ibi Glossa de *Penit. et remiss.* Nicolius in *Flosculis* verb. *Fides* num. 14. aliter Mater odio habens aliquem filium facile posset ei præjudicare, et hæreditatem ei auferre. (17. Filios quoque expositos, quorum parentes ignorantur, censendos esse legitimos tenet Menochius de *Præsumptionib.* lib. 6. quæst. 54. num. 20. Mascard. de *Probationib.* concl. 799. Gonzalez in c. *Conquestus* 1. *Qui filii sint legitimi* num. 8. Reiffenstuel loc. cit. n. 14. Barbosa tit. de *Infant. et languid. exposit.* num. 3. et de *Offic. et potest. Episcop.* part. 3. allegat. 51. num. 150. ubi dicit hanc sententiam esse magis communem, et pro ea citat plusquam 24 Doctores, qui moventur ea ratione, quod in dubio sumenda est conjectura, quæ delicti præsumptionem excludat, cum delictum non præsumatur, donec probetur; arg. l. *Merito* 51, ff. pro *socio*, etc. *Estote* 2. de *Reg. Juris.* Adducunt etiam c. *Lator* 5. et c. *Pervenit* 11. *Qui filii sint legitimi*, ubi adversario injungitur onus probandi illegitimum esse filium; Et afferunt etiam c. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*, et l. *Nuper*, Cod. de *Natural. lib.* ubi in dubio sit præsumptio pro favore proliis per verba adducta sub num. 13. Non enim solum ob pudorem et metum infamiæ, sed etiam ob necessitatem parentum, instans periculum, vel aliam urgentem causam liberi exponi solent, ut patet in Moyse, Paride, et aliis. Vide infra n. 18. et seqq.

(18. Quod autem tales infantes expositi illegitimi censi debeant, docent multi Doctores apud Amostaz. de *Causis piis* lib. 4. cap. 11. num. 73. et juxta communioem et tutiorem sententiam late Pignatell. tom. 7. consult. 34. per tot. Garcias de *Benefic.* p. 7. cap. 2. num. 9. et seq. ubi quod debeat attendi universalis causa projectionis, quæ verificari solet in illegitimis, et rarissime in legitimis, Corrad. in *Prax. dispen.* lib. 3. c. 2. num. 1. Rota in noviss. decis. 790. num. 2. Seraphin. decis. 1081. num. 3. ubi expositionem infantis in Hospitali Sancti Spiritus Urbis valde repugnare legitime filiationi, et Romæ expositi apud Hospitale prædictum pro illegitimis ab omnibus habentur, et dispensatione indigent; Mandos. apud Garciam cit. part. 7. c. 2. nu. 6. Corrad. cit. num. 9. Gratian. disceptat. 34. n. 31. Garcias in addit. ad part. 7. c. 7. n. 7. Cardin. Petra *Comment.* 12. Const. 22. Sixti IV. n. 14. ubi sub n. 11. cum variis aliis dicit, quod tenenda sit tutior opinio, nempe quod censori debeant illegitimi, quoad susci-

piendos Ordines, et indigeant dispensatione, cum urgens conjectura sit pro illegimitate eorum projectio. (19. Et Sac. Congreg. Concilii in Sulmonensi 23. Februar. 1710, censuit: « In casu, de quo agitur pro dispensatione ad cautelam, » quia aderant conjecturæ hinc inde pro legitimitate, vel illegimitate. (20. Et hanc sententiam comprobatur praxis Romanæ Curia, cum obtineantur pro expositis dispensationes Apostolicæ ad Sacros Ordines; Corrad. cit. num. 2 et num. 9, dicit Hospitale Sanctissimæ Annuntiationis Neapolis obtinuisse privilegium, quod inibi expositi promoveri valeant ad Ordines per Archiepiscopum Neapolitanum sine alia dispensatione, sicque hoc privilegium præsupponit illegimitatem eorum.

(21. Filii illegitimi sunt illi, qui non nascuntur ex Matrimonio legitimo, vel saltem putative tali, bonaque fide in facie Ecclesiæ contracto. Communis, arg. l. *Filius* 6, ff. de *His qui sui, vel alieni*, et princ. *Institut. de Patria Potest.* et cap. *Cum inter* 2. *Qui filii sint legitimi* et cap. *Cum inhibito* 3, de *clandestina Dispensatione*. (22. Filii illegitimi alii sunt, et dicuntur *naturales*, alii *spurii*, et alii *ex damnato coitu*. (23. Naturales de Jure Canonico sunt illi, qui nati sunt a parentibus solutis, inter quos tempore conceptionis, vel saltem natiuitatis suæ poterat esse legitimum matrimonium, sive dein Mater fuerit meretrix publica, sive concubina patris. Communis. (24. De Jure tamen Civili soli illi dicuntur *naturales*, qui nati sunt ex concubina soluta domi retenta a soluto, loco Uxoris, et non ex furtivo accessu; l. 1 et sequent. ff. de *Concub.* (25. Illi qui nascuntur ex scorto, seu publica meretrice solent vocari *manzeres*, vel *manseres*. Glossa in cap. *Nisi cum pridem* 10, de *Renuntiat.* verb. *Manzeres*. (26. Illi qui nascuntur ex soluta, quæ nec est concubina, nec publica meretrix, dicuntur *bastardi*, Reiffenstuel lib. 4. *Decretal.* tit. 16, num. 25, in fin.

(27. Spurii de Jure Canonico vocantur illi, qui sunt nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel natiuitatis non poterat esse matrimonium; arg. cap. *Quanta* 4. *Qui filii sint legitimi*, et dicuntur *spurii* a spurcitia per leges reprobata; Reiff. lib. 1. *Decretal.* tit. 17, n. 2. (28. De jure civili autem non solum præfati, sed etiam illi *spurii* dicuntur, qui a meretrice pluribus accessum præbente, ita ut certus pater demonstrari nequeat, gignuntur, arg. l. *Vulgo* 23, ff. de *Statu hominum*, ibi: « Vulgo quæsitum est qui patrem demonstrare non possunt, vel possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet, qui et spurii appellantur. » (29. Ex qua lege, ut vides, spurii appellantur etiam quæsitum.

(30. Filii *ex damnato coitu* dicuntur illi, qui nascuntur a parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore natiuitatis potuit esse matrimonium. *Novella* 74, c. 6. Unde nati ex damnato coitu de Jure Canonico cum spurii conveniunt. Immo etiam de Jure civili, excepto quod nati ex concubina de Jure civili etiam spu-

rii, non vero ex damnato coitu, vocari possunt; l. 1. et sequent. ff. de *Concubin.* qui tamen concubinitas per Leges Ecclesiæ sublatus est; cap. 8. *Nemo* 4. caus. 32. quæst. 4. et Conc. Trident. sess. 24. cap. 8. de *Reformat.* (31. Horum *spuriorum*, seu notorum *ex damnato coitu* alii, sunt, et vocantur *nothi*, quia videlicet nascuntur ex conjugato, et soluta. Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 27, n. 2. Alii *adulterini*, qui scilicet ex adulterio ex parte utriusque gignuntur. Alii *sacerilegi*, id est qui ex Religioso, aut moniali, vel clerico in sacris constituto generantur. Alii *incestuosi*, qui nempe ex parentibus affinitate, vel consanguinitate collateraliter conjunctis nascuntur; § *Inter eas*, *Instit. de Nuptiis*. Alii *nefarii*, id est qui ex patre et filia, aliorumque ascendentium et descendentium copula procreantur; § *Ergo*, *Instit. de Nuptiis*.

(32. Filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens matrimonium inter parentes eorum legitime contractum. c. *Conquestus* 1. et c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi*, ibi: « Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. » Concordat. l. *Divi Constantini* 5. l. *Cum quis* 18. Cod. de *natural. Liber.* (33. Etiam si Matrimonium non sit consummatum, sed præcisè ratum. Engel lib. 4. *Decretal.* tit. 17. num. 9. Pirhing. ibid. n. 36. Reiffenstuel. ibid. num. 13. Barbosa in c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi* et alii communiter. (34. Et hoc quamvis Matrimonium contrahatur a senibus infirmis aut etiam in periculo mortis. Barb. loc. cit. num. 8. Pirhing. loc. cit. Reiffenstuel. loc. cit. n. 32. Covarr. part. 2. de *Matrim.* cap. 8. § 2. num. 10. Pontius lib. 11. cap. 1. § 2. num. 16. Azorius tom. 3. lib. 2. cap. 13. q. 11. et communis aliorum. (35. Sive matrimonium immediate, vel mediate sequatur generationem filii illegitime nati, adeo ut legitimetur filius, quamvis pater ejus non statim cum matre, sed cum alia prius contrahat, et postea hac defuncta, matrimonium ineat cum Matre filii illegitimi. Pirhing. loc. cit. num. 36. Reiffenstuel. loc. cit. num. 33. Pontius loc. cit. num. 15. Abbas. in c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi* num. 3. Barb. ib. num. 7. alii communiter. Et ratio est, quia Jura allegata supra num. 32. plus non requirunt, quam ut matrimonium legitimum inter parentes proli illegitimæ sequatur, nec specificant an mediate, vel immediate fieri debeat, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, de *Privil.* et l. *de Pretio*, ff. de *Publiciana in rem action.* eo vel maxime quod favores sunt ampliandi, cap. *Odia* 15. de *regulis Juris* in 6. ibi: « Odia restringi, et favores convenit ampliari, » præsertim quando agitur de favore liberorum: cap. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*, ibi: « In favorem proli potius inclinamus. »

(36. Filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens matrimonium, etiam si fuerit clandestine contractum, dummodo fuerit validum, uti est in locis, ubi Concil. Trid.

non est receptum; Barb. in cit. c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi*, Sanchez lib. 3. disp. 44. num. 2. Pirhing. loc. cit. num. 36. Reiffenstuel loc. cit. num. 34. et alii. (37. Quinimo filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens matrimonium, etiam si tale matrimonium non sit verum, sed tantum putativum ratione bonæ fidei, et ut verum existimatum; Si quis enim ex consanguinea fornicario concubitu suscipiat prolem, et postea ignarus consanguinitatis cum ea contrahat bona fide matrimonium, proles illa erit legitima, ratione talis subsequentis matrimonii; arg. c. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*. Gonzalez. in cap. *Cum inter* 2. eod. titul. num. 6. Pirhing loc. cit. num. 36. Pontius lib. 7. cap. 1. § 2. num. 13. Covarruv. in 4. *Decretal.* part. 2. c. 8. § 2. Gabriel in *commun. Conclus.* lib. 6. de *Legitim.* Conclus. 1. n. 4. et 5. et alii. Et ratio est, quia filii nati ex putativo matrimonio pro legitimitatis declarantur, textu expresso in cap. *Cum inter* 2. *Qui filii sint legitimi*, ergo filii prius illegitime nati per subsequens putativum matrimonium legitimantur; non enim apparet ratio cur idem matrimonium putativum habeat vim faciendi ut filii legitime nascantur, et non habeat vim legitimandi filios prius illegitime natos. Tum quia in dubiis favorabilior Juris interpretatio est assumenda; cap. *Estote* 2, de *Regulis Juris*, præsertim cum agitur de favore liberorum; c. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*. (38. Non desunt tamen magni nominis Doctores contrarium sentientes, ut Abbas in cap. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi*; Engel lib. 4. *Decretal.* tit. 17, n. 9. Reiffenstuel ibid. num. 36. Zoesius ibid. num. 13. Fachin. lib. 1. *Controv.* cap. 53. Molina tom. 1. tract. 2. de *Justitia et Jure* disp. 172, num. 11, et alii.

(39. Filii spurii, seu nati ex damnato coitu, id est a parentibus inter quos nec tempore conceptionis, nec natiuitatis poterat esse matrimonium, per subsequens matrimonium non legitimantur. Communis Doctorum, arg. cit. cap. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi*, in cujus sumario sic præcisè habetur: « Naturales legitimantur per subsequens parentum conjugium; spurii vero non. » (40. Hoc tamen procedit in casu, quo uterque parens scit tale impedimentum contrahendi inter se pro tunc matrimonium, ex quo v. g. unus reperitur uxoratus, et sic ilius sciente utroque parente susceptus sit ex adulterio. Non autem in casu, quo unus ex parentibus sciverit, et alter ignoraverit; tunc enim bona fides alterius parentis ignorantis adulterium facit, ut filius ille legitimus fiat subsecuto inter eosdem parentes matrimonio, textu expresso in cap. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*, et tenet communis Doctorum. (41. Dicitur autem notanter, « inter quos nec tempore conceptionis, nec natiuitatis poterat esse matrimonium, » quia si parentes fuerint inhabiles ad contrahendum inter se matrimonium pro tempore quo fuit concepta proles, et facti sint habiles pro tempore

quo proles nata est, ut si v. gr. vir vivente uxore sua aliam imprægnat, et postea uxor moriatur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta legitimatur per subsequens parentum matrimonium. Engel lib. 4. *Dec.* tit. 17, num. 11. Reiffenst. ibid. num. 39. Covarr. de *Matr.* p. 2, c. 8, § 2, num. 2. Pontius lib. 11, cap. 3, num. 2. Sanchez lib. 8, disp. 7, num. 19. Molina cit. disp. 172, num. 4 et alii plurimi. Et ratio est, quia universaliter in quætionibus, in quibus est dubitatio de statu liberorum attenditur tempus partus, vel conceptionis, prout nempe exigit favor, aut utilitas liberorum, textu expresso in l. *Nuper* 11. Cod. de *Natural. lib.* et concordat *Novell.* 89, cap. 8. (42. Sic etiam per subsequens matrimonium legitimatur proles concepta tempore, quo parentes ratione affinitatis, vel consanguinitatis erant inhabiles ad contrahendum inter se, si ante natiuitatem, sublato per dispensationem Apostolicam impedimento, facti sint habiles, et matrimonium contraxerint. Barb. in cap. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi* num. 31. Reiff. loc. cit. n. 41, et alii passim.

(43. Legitimati per subsequens matrimonium habentur in omnibus pro vere legitimis perinde ac si ab initio ex legitimo matrimonio concepti fuissent, unde æque ac legitime concepti succedunt in hæreditate ex testamento, et ab Intestato, sunt habiles ad Ordines et Dignitates, tum sæculares, tum Ecclesiasticas, arg. cit. cap. *Tanta*, et l. *Cum quis* 10, de *Natural. lib. Novell.* 12, c. 4. *Novell.* 74, c. 2, § 2. *Instit. de Hæred.* et *intest.* et sic communis Doctorum cum Glossa in cit. cap. *Tanta*, verb. *Legitimi*, ubi pro ratione adducit, quod per subsequens matrimonium omnia præcedentia purgantur. (44. Legitimatis per subsequens matrimonium possunt dari litteræ, seu attestations, quod sint legitime nati, et sic legitimati veniunt in dispositione hominum, et statutorum volentium, quod quis debeat esse legitime natus. Richter p. 2, decis. 80, num. 17. Reiffenstuel loc. cit. num. 43. (45. Ex speciali tamen dispositione Sixti V facta anno 1590, in Constit. incip. *Postquam verus*, tales legitimati per subsequens matrimonium non possunt promoveri ad Cardinalatum.

(46. Filii illegitimi, nedum legitimantur per subsequens matrimonium, sed etiam per Rescriptum Principis. Communis. Et quidem Papa habet potestatem legitimandi quoscumque illegitimos quoad ordines, honores, dignitates ac Beneficia Ecclesiastica ubique terrarum, et quoad successionem hæreditariam, honores et dignitates sæculares in Terris temporali suæ jurisdictioni immediate subjectis; Communis, textu expresso in cap. *Venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi*. (47. Immo potest Papa legitimare illegitimos quoscumque, etiam quoad successionem in hæreditate, et bonis temporalibus in Terris alienis, non tamen solet regulariter hoc facere. Pirhing lib. 4. *Decret.* tit. 17, num. 43. Barbosa in cit. cap. *Per Venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi*, num. 3. ubi pro hac sententia citat